

Π m
3435

Fk



Fk. 129.

24

II n
3435





FR 29
24

REPRÆSENTATIO
JURIS
CLARI AC LIQUIDI,
quò fas est
SERENISSIMO
ELECTORI
BRANDEN-
BURGICO,

Possessionem pignoris,
Eidem per æternum foedus & fidem juratam
in URBE ELBINGA constituti,
post patientiam quadraginta annorum
& quod excurrit, ap-
prehendere.

M DC XCVIII.



REPERASSENTATIO

IN

CAUSIS ACQUISITIONIS

PER

BERNARDUM

DE

RE

PER

AD

EDITIONEM

IN

PER

DE

PER

M. DC. XXVIII.





Judicaturus justè an secus faciat
Serenissimus Elector Brandenburgicus,
quod Elbingam occupandam statuerit,
ante omnia nosse debet fundamentum to-
tius rei, quò nixa Sua Serenitas Electora-
lis fas sibi esse judicat, possessionem Pignoris, per fidem
juratò datam à Serenissimò Rege atque Inclytâ Republ.
Polonorum, in Urbe Elbingense constituti, tandem ap-
prehendere. Hoc continetur in Pactis, seu æternò fœ-
dere, quod inter Serenissimum Regem **Joannem**
Casimirum p. m. & Inclytam Rempubl. Poloniæ ab
unâ, & Serenissimum Electorem Brandenburgicum
Fridericum V Wilhelmum p. m. ab alterâ parte,
Velaviæ, die 19. Septembr. Anno 1657. conclusum, de-
inceps verò Bydgostia, die 6. Novembr. ejusdem anni,
addita super certis ad Serenissimum Regem ac Rempubl.
remissis articulis conventionem, rati habitum.

Cujus æterni fœderis ipsissima verba, quæ qui-
dem ad rem faciunt, hûc transcribere operæ pretium
erit :

IN

IN NOMINE PATRIS,
FILII ET SPIRITUS SAN-
CTI, UNICI VERIQUE DEI,
AMEN!

INGRESSUS.

Notum sit omnibus, quod cum superioribus annis, eoque ipso tempore, quo Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus Joannes Casimirus, Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, &c. &c. Inclytumque Poloniae Regnum, & Magnus Ducatus Lithuaniae, Muscoviticò bellò, Cosacicisque implicarentur turbis, Sveci infestis pariter armis eandem peterent Poloniam, tandemque in Prusiam Regiam ac Ducalem irrumperent, ita ut ipse Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius & Princeps Elector &c. &c. Ejusque di-
tiones

tiones ac subditi infestis Suecorum armis
ac hostilitatibus, convocatis undiquaque
contra ipsum Sueticis copiis, ita peteretur
& urgeretur, ut cum ipsis ad Pacta quæ-
dam, premente necessitate fuerit ad-
actus, indeque hostilia quædam inter Se-
renissimum Polonia Regem & Serenissi-
mum Electorem Brandenburgicum inse-
quuta patrataque fuerint; Tandem per
singularem DEI gratiam, clementiamq.,
interueniente, & mutuam concordiam,
Serenissimo ac Potentissimo Principe ac
Domino, Domino Leopoldo, Hungariæ
Bohemiæ &c. &c. Rege, Archi-Duce
Austriæ, &c. &c. per ipsius Consilia-
rium Camerae Aulicæ, & ad hosce tracta-
tus Alegantum, (Tit.) Dominum Fran-
ciscum de Lisola &c. &c. conciliante, tam
S.^a Reg.^a Maj.^{is} quam S.^a Seren.^{is} Elect.^{is}
Plenipotentiarum; Ex parte quidem S.^a
Reg.^a Maj.^{is} Poloniae Tit. Dn. Wenceslaus,
Comes in Leszno Lesszinsky Episcopus
B Var-

Varmiensis, & Dn. Vincentius Corvinus
Goszewsky, Supremus Thesaurarius, &
Campi-Mareschallus M. D. Lithuaniae,
&c. &c.; Ex parte verò S.^e Seren.^{is} El.^{is}
Tit: Dn: Otto L. B. à Schwerin, Heredita-
rius Electoratus Brandenburgensis Ca-
merarius, Serenissimi Electoris Branden-
burgensis Consiliarius Status Intimus &c.
&c. Et Dn: Laurentius Christophorus à
Somnitz, hereditarius Camerarius in Du-
catu Pomeraniae, Ejusdem Serenissimi
Electoris Consiliarius Status Intimus &c.
&c. necessariis ad hoc instructi manda-
tis, perpetuam Pacem, Concordiam at-
que amicitiam, inter perdictum Seren.^{um}
ac Potent.^{um} Regem, Magnumq; Lithua-
niae Ducem, Ejusq; successores & Regnum
Poloniae, Magnumque Lithuaniae Duca-
tum: Tum Sereniss.^{um} Electorem Bran-
denburgicum, in Prussia Ducem, Ejusque
successores his, quae sequuntur, conditioni-
bus, pacti sint, instaurarint atque conclu-
serint.

Ar-

Artic. I.

PRædicta Pax quemadmodum, in perpetuum fida & sincera erit ; Ita hōc ipsō momentō, omnis inter utramque partem, Utriusque Partis copias, milites, subditosq; hostilitas cessabit ; Neutra pars in alterius damnum quicquam tentabit, aut tentari patietur, sed altera alterius gloriam, utilitatem & securitatem modis omnibus promovere studebit. Quicquid verò durantibus hisce bellis, uni vel alteri parti, tam in Regno Poloniæ, quam in Prussiâ Ducali, aut singulis illorum incolis, ab unâ vel alterâ parte damnorum, injuriarum, molestiarumve, sive per vim & expeditiones militares, sive per exactiones, ablationes, aut alios modos illatum fuerit, illud omne, utpote perpetuâ oblivione sepultum, nunquam exsuscitabitur, nec eo nomine, tam Sacra Reg.^a Maj.^{stas} Regnumque Poloniæ, aut Provincia aliqua Eidem

dem unita, aut subditorum quisquam, cu-
juscunque gradus aut conditionis fuerint;
quam Seren.^{tas} S.^a Elector.^{lis} Ejusq₃ subdi-
ti, milites ac Ministri, poterunt se invi-
cem, aut singulorum heredes, vel Terras,
Ditiones, belli Duces, Milites, subditos
convenire, compellare, aut quicquam ab
iis petere aut postulare, multò minus vi ex-
torquere, sed ista omnia utring₃ abolita
erunt, ac deinceps alter alterius commo-
dum promovebit, damna autem mutuò
avertet. &c. &c.

Artic. III.

UTraq₃ Pars in modernis hisce bello-
rum tempestatibus sedulò commu-
ni salutis & defensionis intenta erit,
contra quoscunq₃ illius perturbatores, pa-
cique & mutuae securitati stabiliendae, pel-
lendisque è Regnò Poloniae, Magnò Du-
catu Lithuaniae & Ducatu Prussiae hosti-
bus, unitis consiliis, viribus ac conatibus
incum-

incumbet, non obstante quôvis aliô nexu ac
conventionem, quæ huic æquissimæ intentio-
ni, & reciprocæ obligationi obstare posse vi-
derentur, vigore autem hujus pacti pro re-
sciscis habentur.

Artic. IV.

Serenissimus Elector omnia, quæ per
Universum Poloniae Regnū Magnum-
que Ducatum Lithuaniae & Episco-
patum Varmiensem per hoc bellum, aut per
Tractatus Svecicos quôcunq; titulô occupa-
vit, ac ipsô factô possidet, statim atq; hæc
conventio à S.^a Reg.^a Maj.^{te} & Senatoribus,
ac præcipuis Regni Aulae q; Officialibus Ei-
dem assidentibus ratihabita fuerit, restitu-
et plenarie & absq; ullâ reservatione; E-
vacuatio locorum fiet per Commissarios u-
triusque Partis communi consiliô, juxta
solitam belli rationem, absq; injuriâ aut
molestiâ ullâ Incolarum, & sine demoliti-
one fortalitorum novorum & antiquorum,
C nisi

nisi id ex communi partium consensu quibusdam in locis expedire videatur, & sine ablatione reitormentaria ad Episcopatum spectantis.

Artic. V.

Q*Vorum intuitu, & aliorum præsertim infrà specificatorum, & aliis justis de causis, Ducatum Prussiae, iis finibus circumscriptum, quibus Serenissimus Elector illum olim jure feudali, ante hoc bellum exortum possidebat, Ipse deinceps, & Descendentes Ejusdem Masculi, ex thoro Ejus legitime procreati, indeque descendentes omnes, donec quispiam supererit ex Descendentibus Masculis S.^{er.} El.^{is}, jure supremi Domini, cum summâ atq; absolutâ potestate sibi habebunt, possidebunt, regentque absque omnibus antehâc præstitis oneribus.*

Artic.

Artic. X.

Locò *Vasallagii* pristini, *Serenissimus Elector*, *Ejusque Descendentes* perpetuo ac *inviolabili fœdere Serenissimo Regi ac Regno Poloniae* conjungentur, per quod *Utriusque Partis* stabiliatur in perpetuum *securitas*, in eum, qui sequitur, modum.

Artic. XI.

S*erenissimus Elector, Ejusque Descendentes*, fidam cum *Serenissimis Regibus, Regnòque Poloniae, & Magnò Ducatu Lithuaniae* colent *amicitiam & unionem*, nunquam cum *Serenissimorum Regum vel Regni Hostibus* aliquod *fœdus directè vel indirectè* inibunt in *præjudicium Regis & Reipub.*; *Transitum hostibus* perditiones suas, *portus & propugnacula*, *annonam quoque & commeatum*, ac *qualecunque subsidii genus*, *ipsis denegabunt:*

nec

nec portus suos vel munitiones ipsis quò-
cunque modo vel titulo in possessionem
tradent.

Artic. XII.

Subsidia, quæ in hoc præfenti bello, Se-
renitas Sua Elect.^{us} Serenissimo Regi
ac Reipubl. Polonica conferre tenebi-
tur, illa in particulari tractatu, hæc de re
inito, specificè designata sunt ac limitata,
quæ Conventio vigore præfentis Pacti per
omnia servanda erit. Quoties autem fi-
nito hoc bello, novum aliquod aliud bel-
lum, contra Serenissimum Regem ac Rem-
pub. Polonica oriatur, Sua Serenitas Ele-
ctoralis Ejusque Descendentes tenebuntur
mille quingentos pedites, & quingentos E-
quites Serenissimo Regi ac Regno Polonica
subministrare, quibus, postquam ex Duca-
tu Prussia Ducalis educti fuerint, Rex Re-
gnumque Polonica sustentationem submini-
strabunt.

Artic.

Artic. XIII.

Vicissim verò Serenissimus Rex, E-
jusque Successores & Regnum Po-
loniæ ac Magnus Ducatus Lithua-
niæ reciprocam cum Serenitate suâ Electo-
rali Ejusque Successoribus servabunt ami-
citiam, nullum hostibus ipsius aditum in
S.^a Seren.^{tis} El.^{lis} terras concedere, sed potius
defensioni, conservationi ac securitati Du-
catus Prusiæ omnibus modis consulere
debeant; Præsertim si hujus conven-
tionis vel subsidii missi causâ (de quo su-
prâ) Serenissimo Electori, Ejusque Suc-
cessoribus, quisquam & quicumque fuerit,
sive in præsentem, sive deinceps, bellum in-
dicere, aut Ducatui Prusiæ inferre volu-
erit, Serenissimus Rex & Regnum Polo-
niæ, adæquatò Ipsi subsidio subvenire te-
nebuntur.

Artic. XXI.

Foedus hoc, & omnia in hoc instru-
D mento

mentò colenta sanctè servatum iri , utra-
que pars juramento promittet & in præ-
senti quidem Serenissimus Rex Poloniae
ac Senatores Eidem assidentes, hanc con-
ventionem solenniter ratihabebunt ac ju-
ramento firmabunt, promittentq₃, in pro-
ximis comitiis, aut proximo conventu Co-
mitiorum potestatem habente, omnia quæ
his conclusa sunt, ratihabutum iri. Si-
militer Seren.^{tas} S.^a Elect.^{lis} illam pari modò
ratificabit ac juramento firmabit; Atque
hoc fædus perpetuum, quotiescunq₃ novus
Rex Poloniae electus fuerit, aut Dux Prus-
siae in Ducatu successerit, ab utrâque par-
te renovabitur, confirmabiturq₃ juramentò
desuper præstito per Deputatos in animam
Principalium jurantes. Et si pars alterutra
huic conventioni & fæderi contravenerit,
& decenter admonita, satisfacere neglexe-
rit, Pars læsa monere tenebitur Mediatò-
res, ac Serenissimos Reges & Status, in ar-
ticulo sequenti nominatos, & eorum curam
adhi-

adhibere procurandæ satisfactioni ; & huic stabiliendæ concordiarationi utraqve Pars sedulo insistet, ut omnia amicabiliter æquis modis componantur.

Artic. XXII.

Pro securitate & horum Pactorum firmitudine fidem suam quoque ut interponant, Serenissimi & Potentissimi Reges Hungariæ & Bohemiæ: Item Daniæ Norvegiæque: Denique Præpotentes fœderati Belgii Ordines, rogabuntur; ut injuriam aut vim contra hanc conventionem passo, omni meliori modò consulant, utque debita ipsi satisfactio procuretur,

Hactenus ex Pactis Velaviensibus: Sequitur Ratihabitio ac conventio super certis articulis, qui ad Regem ac Rempub. remissi erant; facta Bydgostia, die 6. Novembr. 1657. quæ ita habet:

It quoniam nonnulla ad Nos in negotiò conjunctionis armorum, & aliis remissa

remissa sunt, atq; super iis sequenti ratio-
ne inter Nos & Serenissimum Principem
Electorem supra nominatum conventum
est modò infrà scriptò, ea secundum con-
ventionem initam addimus, illaque ean-
dem vim atque vigorem cum superiori-
bus articulis ex Senatus Consultò habere
volumus, atque hisce tribuimus, pol-
licemurque eadem fide juratâ, in pro-
ximis comitiis omnia, quæ superiori-
bus articulis continentur & quæ hîc
sequuntur, omnium Ordinum consen-
su confirmatum & ratihabitu iri:
Igitur probè perpendentes tum pericula,
quæ S.^æ Seren.^{ti} Elect.^{li} terrisque Ipsius per
ipsam separationem à partibus Sveticis
imminent, tum quanti intersit nostrâ at-
que Reipub. Vicinum Nobis Principem
justis devincire modis, tum inprimis
quanta, quamque utilia Nobis Regno-
que Poloniæ per effectivam & actualem
armorum nobiscum conjunctionem præ-
stare

stare S.^a Seren.^{tas} El.^{lis} deinceps posfit of-
ficia tam belli quam pacis tempore; Ad
demonstrandam præterea singularem
propensionem nostram Regnique nostri
erga Suam Seren.^{tem} El.^{lem} Ejusq; Domum
Inclytam, Suæ Seren.^{ti} El.^{li} Ejusdemq; po-
steris masculis, ex legitimò thorò Ejus-
dem descendentibus, pariter ex Senatus
Consultò & consensu Dnn. Consiliario-
rum, tam Spiritualium quam Secularium
Regni nostri, duas Præfecturas Leobur-
gensis & Bytoviensis cum omnibus
&c. &c. &c. dedimus, concessimus &c.
&c. &c.

Propter eandem armorum conjuncti-
onem, & supra memoratas alias rationes
S.^a Seren.^{ti} El.^{li} Civitatem Elbingensem
cum totò Ejus districtu & territoriò, ple-
nò Dominii jure sibi habendam possiden-
damqve, unâ cum redditibus, qui inde ad
Reges Regnumqve Poloniae olim defe-
rebantur, concedimus; Promittimus-
E qve

que, quod quamprimum ex potestate
Svecorum erepta, aut recuperata fuerit,
nemini, NB. NB. quam S.^a Seren.^{ti} El.^{li} va-
cua illius possessio tradi debeat citra ulla
prætensiones vel dilationes, præfidiõ suæ
Serenitatis munienda sine ullo sumtu Re-
gis & Regni. Quam quidem Civitatem
Elbingensem eodem modo possidebit,
tenebitque & fruetur Sua Serenitas, Ejus-
que posteris, atque à Nobis & Regno Po-
loniæ ad hoc ultimum bellum Svecicum
1655. tenebatur & possidebatur, etiam
quoad commercia & jura aliarum civita-
tum nostrarum Pruthenicarum, nulla præ-
tereà telonia nova instituendo: Com-
missio, quoties opus fuerit, instituetur ab
utrâque parte pari numero Commissari-
orum, ut omnium interesse habentium,
ac imprimis civitatum nostrarum Pruthe-
nicarum habeatur ratio, ne illae in suis
commerciis, omnibusque indè depen-
dentibus, præjudicium patiantur, utque
grava-

gravamina ac prætensiones, quas inter se habere prætendunt, per Commissionem aboleantur, vocatis ad diem Commissionis Civitatum earundem Pruthenicarum Deputatis.

Religionis Catholicæ & Augustanæ exercitium Elbingæ liberum sit, statusque ejusdem Religionis Catholicæ idem erit, prout ante hoc bellum fuit; Jurisdictio Episcopi in Sacerdotes Catholicos, prout ante, integra maneat; Jus Patronatus ejusdem Ecclesiæ Elbingensis Catholicæ ad Nos spectabit; *Templum Catholicis ademptum restituetur, proventusque & fundi omnes Ecclesiæ Catholicæ, quibus ante hoc bellum ultimum Sæveticum utebatur fruebaturque, reddentur: Catholicis præterea ad Magistratus accessus patebit.*

Quæ omnia cum benè expensa, & ex Senatus Consulto peracta atq; conclusa sint, in eorum fidem & majus robur
hoc

*hoc instrumentum manu nostrâ subscri-
ptum, sigillo insuper Regni nostri muniti
jussimus: Actum Bydgostiae, die VI.^o
Mensis Novembr. Anno MDC LVII.*

Hoc foedus æternum, quò majore niteretur robo-
re, jurejurandò, specialiter ad id confectò, non tantum
à præfatò Serenissimò Rege, sed & ab omnibus qui
aderant, Senatoribus, Magnis, & patriæ ac fidei aman-
tibus Viris eòdem tempore confirmatum fuit, hisce for-
mulis :

EGO JOANNES CASIMIRUS, Rex Polo-
niae & c. juro super hæc sancta Evan-
gelia pro me & Successoribus meis Regibus
Poloniae Magnisque Ducibus Lithua-
niae, Regnòque Poloniae & Magnò Du-
catu Lithuaniae, & c. quod Pacta fæde-
ris perpetui cum Serenissimò Principe,
Dominò Friderico Wilhelmo, Marchio-
ne Brandenburgicò, Sacri Romani Impe-
rii Archi-Camerario & Principe Electore
& c. & c. Ejusdemque Successoribus,
Marchionibus Brandenburgicis, in Prus-
siâ Ducibus, per Commissarios meos, die
decimâ nonâ Septembris, Anno Domini
1657.

1657. *Velavia inita & transacta, in specie verò ea, quæ ad Tractatum cum Nobismet ipsis remissa, atque hic Bydgostia conclusa sunt, in omnibus articulis, punctis & clausulis observabo & manutenebo, eaq; ab omnibus subditis meis observari faciam, nec iisdem sive directè sive indirectè contraveniam, aut contraveniri patiar. Promittoque in proximis Comitibus omnia, quæ iisdem contenta sunt, ratihabebitum iri; sic me DEUS adjuvet!*

JOANNES CASIMIRUS REX.

Formula Juramenti à Senatoribus, qui
Regi Bydgostia aderant,
præstiti:

EGO, N. N. N. Senator Regni Poloniae juro super Sancta hæc DEI Evangelia, quod pro posse meo curabo, ut pacta fœderis perpetui cum Serenissimo Principe, Domino Friderico Wilhelmo, Marchione Brandenburgico Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principe Ele-

*pe Electore &c. &c. Ejusdemq; Succes-
soribus, Marchionibus Brandenburgicis,
in Prussia Ducibus, per Commissarios S.
Reg.^a Maj.^{ties} die decimâ nonâ Septembris,
Annô Domini M DC LVII. Velavia
inita & transacta, in specie verò ea, quæ
ad Tractatum cum S.^a Maj.^{ties} remissa, atq;
hic conclusa sunt, in omnibus articulis,
punctis & clausulis observentur, nec iis-
dem à quopiam contraveniatur, utque in
proximis Comitibus omnia, quæ iisdem con-
tenta sunt, ratihabeantur; Sic me DE-
US adjuvet.*

Casimirus Florianus,
Dux in Clevian. Czartorisky, Episcopus
Uladisladienf. & Pomeran.
(L. S.)

Joannes de Leszno,
Palatinus Posnaniens.
(L. S.)

Andreas Trzebicky,
Episc. Premiszlief. Vice-Cancell.
Regni Pol.
(L. S.)

Joannes Casimirus Krafinsky,
Palatinus Plocenf.
(L. S.)

Stanislaus Laskowsky,
Castellan. Podlachia, Referend.
Regni Pol.
(L. S.)

Constantinus Lubskowsky,
Castellan. Bydgoscia.
(L. S.)

Sed

Sed nec ii Senatores tantum, qui Regi Bydgostiaæ aderant, Pacta hæc Velaviensia & Bydgostiensia juramento confirmarunt, quin & idem factum à Senatoribus Posnaniaæ & Varaviaæ congregatis, & quidem formula Confirmationis Posnaniaæ exhibita ita se habet:

Nos Regni Poloniae & Magni Lithuaniae Ducatus Senatores ac Proceres, Universis & Singulis, presentibus & futuris, hæcce literas visuris significamus: Quod Pacta fœderis perpetui cum Serenissimò Principe, Fridericò Wilhelmò, Marchione Brandenburgicò, Sacri Rom. Imperii Archi-Camerario & Principe Electore, &c. &c. Ejusdemque Successoribus Marchionibus Brandenburgicis, in Prussia Ducibus, per Plenipotentiariorum Commissarios Sac.^a Reg.^a Maj.^{ties} Domini nostri Clementissimi, die decimâ nonâ Septembris, Anno Domini M DC LVII. Velaviae inita & constituta, in specie verò ea, quæ ad tractatum cum Suâ Majestate remissa, atq; in Conventu Ejusdem Sac.^a Reg.^a Maj.^{ties} Domini nostri Clementissimi

tissimi cum Ejus Serenitate Electorali Byd-
gostia, die sextâ mensis Novembris eodem
annô M DC LVII. conclusa sunt, post-
quam jam à Sac.^a Reg.^a Maj.^{te} Dominô
nostrô Clementissimo ex Senatus Consulto
approbata sunt, ac juramentis utrinque
firmata, nos eadem confirmamus, illaque
observaturos nos promittimus, & curabi-
mus ut in omnibus articulis punctis &
clausulis observentur, nec iisdem à quo-
piam contraveniatur, utque in proximis
Comitiis omnia, quæ iisdem contenta sunt,
authoritate Comitiali confirmentur & ra-
tihakbeantur. In quorum fidem præsen-
tes manibus nostris subscripsimus, & si-
gillis munivimus. Datæ Posnania, die
mensis Novembris, Anno Domini
MDC LVII.

Joannes Comes de Leszno,
Palatinus Posnaniensis.

(L.S.)

Stephanus Czarniecky,
Palatinus Terrarum Prussiae.

(L.S.)

Albertus Tholibowsky,
Episcopus Posnaniensis.

(L.S.)

Andreas Trzebicky,
Episc. Premisl. Vice-Cancellarius.

(L.S.)

Geor-

Georgius Lubomirsky,
Supremus Mareschallus, Generalis-
que Exercit. Reg.
(L.S.)

Bogislaus, Comes in Leszno,
Supr. Regni Thesaurarius.
(L.S.)

Joannes Casimirus,
In Krasno Krafinsky, Palatinus
Plocensis.
(L.S.)

Stanislaus Dzialinskii,
Palatinus Marieburgensis.
(L.S.)

Christophorus Grzymultovvsky,
Castellan. Pofnan.
(L.S.)

Alexander Sielsky,
Castell. Lanciciensis.
(L.S.)

Christophorus Przyemsky,
Castellan. Culmens.
(L.S.)

Præslaus, Comes de Leszno,
Castellan. Srem.
(L.S.)

Stanisl. Casimirus Bunievvsky,
Castellan. Wolhynia.
(L.S.)

Stanislaus Laskovvsky,
Castellan. Podlachia, Referend.
Regni.
(L.S.)

Eadem formula repetita in Conventu Varfaviensi,
die VIII.^{vo} Mensis Martii, Annó Domini MDC LVIII.
Cui subscripserunt:

Joannes Tarnovvsky,
Archi-Episcopus Leopoliens.

Joannes Gembicki,
Episc. Plocensis.

Paulus Sapieha,
Palatinus Vilnensis Supr. Exercit. M.
D. L. Generalissimus.

Joannes Dovvgat Zanifza,
Episc. Vilnensis.

Thomas Vicysky,
Episc. Kijoviensis.

Georgius Carolus Hlebo-
wicz, Gener. Gubern. Ducatus Sa-
mogitia.

G

Joan.

Joannes Tarlo,
Palatinus Lublinensis.

Casimirus Ludovicus Thro-
laszewski, Castellanus Smole-
scensis.

Joannes Wielopolsky,
Castellanus Woznicensis.

Alexander Naruszewickz,
Pro-Cancellarius M. D. L.

Christophorus Pac,
Supra, M. D. L. Cancellarius.

Lucas Opalinsky,
Mareschallus.

Sed & singulari Instrumento fidei pleno, eadem con-
firmavit Pacta Primas Regni, Archi-Episco-
pus Gnesnensis: Quod ita habet.

Andreas, Comes de Leszno, DEI &
Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Ar-
chi Episcopus Gnesnensis: Legatus na-
tus, Regni Poloniae Primas, Primusque
Princeps; Universis & singulis, præsen-
tibus & futuris, præsertim has literas vi-
suris, aut illorum notitiam habituris signi-
ficamus: Quod cum Pacta fœderis per-
petui, cum Serenissimo Principe, Do-
mino Friderico V Vilhelmo, Marchione
Brandenburgicò, Sacri Romani Imperii
Archi-Camerario, & Principe Electore,
&c. &c. Ejusdemque Successoribus,
Marchionibus Brandenburgicis, in Prus-
siâ Ducibus, per Plenipotentiarios Sac.
Reg.

Reg.^a Maj.^{ties} Domini nostri Clementis-
mi die decimâ nonâ, Septembris Annô
Domini millesimô sexcentesimo quingua-
gesimô septimô Velaviæ inita & consti-
tuta : In specie verò ea, quæ ad tracta-
tum Sua Maj.^{te} remissa, atque in con-
ventu Ejusdem Sac.^a Reg.^a Maj.^{ties}, Domi-
ni nostri Clementissimi cum Ejus Sereni-
tate Electorali Bydgostia, die sextâ mensis
Novembris conclusa ; Jamque à Sac.^a
Reg.^a Maj.^{te}, Domino nostrô Clementissimo
ex Senatus Consulto approbata, ac jura-
mentis utring₃ firmata sint : nec non Illu-
strissimi Domini Senatores Regni & Ma-
gni Ducatus Lithuania, tam Ecclesiastici,
quam secularis Ordinis, pro tunc ad la-
tus ejusdem Sac.^a Reg.^a Maj.^{ties} residentes
speciali scriptô, propriis illorum manibus
subscriptô, sigillisque communito eadem
Pacta confirmaverint, & illa se observatu-
ros, utque in omnibus articulis punctis
& clausulis observentur, nec iisdem à
quo-

quopiam contraveniatur : Utque in pro-
ximis Comitibus omnia, quæ in iisdem con-
tenta sunt, auctoritate Comitiali confir-
mentur & ratihabeantur, se curaturos
promiserint. Nos verò dum præmissa
per Illustrissimos Dominos Senatores ap-
probarentur, subscriberentur, servandaque
promitterentur, præsentibus non adfuimus;
Ideò hisce literis nostris ad mentem &
sensum prædictorum Illustriss.^{rum} Dom.^{rum}
Senatorum accedendo, hæc eadem Pacta
conclusa, ac per Sac.^{am} Reg.^{am} Maj.^{tem} Do-
minum nostrum Clementissimum ex Sena-
tus Consulto approbata, juramentis utrin-
que firmata, ac modo suprascripto per
Illustrissimos Dominos Senatores confir-
mata; Nos quoque ex loco & pro mu-
nere nostro confirmamus; Illaque Nos
observaturos promittimus, & curabimus,
ut ab ordinibus Regni & Magni Ducatus
Lithuanicæ in omnibus articulis, pun-
ctis & clausulis observentur, nec iisdem à
quo

quopiam contraveniatur ; Utque in pro-
ximis Comitibus omnia, quæ in iisdem pa-
ctis contenta sunt, auctoritate comitali
confirmentur & ratihabeantur ; In quo-
rum fidem præsentis manu nostrâ sub-
scriptas, sigillò nostrò communiri manda-
vimus. Dabantur in Residentiâ nostrâ
Squiernievicensi, die quintâ mensis Ja-
nuarii, Anno Domini millesimo sexcen-
tesimo quinquagesimo octavo.

Andreas, Comes de Leszno,
Archi-Episcopus.

(L. S.)

Idem foedus æternum & omnia, quæ in eodem
disponuntur, deinceps, in Comitibus Regni Generali-
bus, annò sequenti 1658. habitis, ab omnibus Inclytæ
Reipub. Ordinibus confirmatum. Hoc an legitime fa-
ctum sit, judicare liceat ex verbis Mandati Commissa-
riales, quod Rex suò ac Reipub. nomine Commissariis
suis, Episcopo Varmieni, & Supremo Cancellario
Comiti Lescinio, ad executionem foederis Annò 1660.
deputatis dedit, cujus tenor hic est :

Quod committantur ad observantiam
Pactorum, & foederis perpetui, die
H 19. men-

19. mensis Sept: (1657.) *Velavia* conclusi,
& die 6. Novembr. ejusdem anni *Bydgo-*
stia, additâ in certis ad Nos remissis arti-
culis conventionem ratihabiti, nostrôque &
Senatorum ac Officialium lateri nostro
adsidentium juramentis firmati, & tan-
dem in Generalibus Reipub. Comitiiis an-
no 1658. NB. re in conventibus particu-
laribus ante propositâ deliberatâque, nul-
lò planè ex commemoratis Ordinibus re-
pugnante, protestante, contradicente, sed
omnibus unanimiter consentientibus, lege
publica approbati, &c. &c.

Ipsa verò Constitutio in Comitiiis Generalibus,
Annò 1658. hac de re facta, ita sonat:

(TIT.) APPROBATIO PACTO-
RUM CUM SERENISSIMO ELECTO-
RE BRANDENBURGICO:

PActa perpetui fœderis mediatione,
Serenissimi Cæsaris Christiani, cum
consensu Dominorum ad latus no-
strum residentium Consiliariorum, die
19. Septembris proximè præterito Anno
1657.

1657. per Commissarios nostros, Rev.^{um} in
Christo Patrem, Dominum Venceslaum
Leszinski, Episcopum Varmiensem &
Magn.^{um} Vincentium Corvinum Gosiews-
ky, Thesaurarium Supremum & Cam-
piductorem M. D. Lithuania, cum Com-
missariis Serenissimi Electoris Branden-
burgici, nostrò & totius Reipub. nomine
facta & conclusa, & postmodum Byd-
gostiae die 6. Novembris ejusdem anni,
additâ in punctis ad Nos remisfis Con-
ventione, ratificata & utrinque jurata,
auctoritate præsentis conventûs, præviò
unanimi omnium Ordinum consensu in
omnibus punctis, clausulis, paragraphis,
articulis approbamus, & ut in omnibus
plenè & inviolabiliter serventur, & in
quibus ulteriore egent executione, ad
effectum integrè deducantur, vigore
præsentis Conventus constituimus. Et
restitutionem bonorum iis, quibus vigo-
re eorundem pactorum debentur, juxta
scri-

scriptum ad Archivum datum, quod auctoritate horum Comitiorum approbamus, eadem fide publicâ affecuramus.

Idem repetitum in Comitiiis sequentibus Generalibus, Anno 1659. habitis, per Constitutionem, quæ ita se habet :

(TIT.) EXECUTIO PACTORUM, CUM SERENISSIMO ELECTORE BRANDENBURGICO INITORUM.

D*Educendô ad effectum Pacta cum Serenissimô Electore Brandenburgicô, Constitutione præteritorum Comitiorum approbata, si quâ in re eguerint ulteriore executione: constitutâ publicâ eorundem præteritorum Comitiorum auctoritate restitutionem bonorum, quæ vigore eorundem Pactorum, juxta scriptum ad Archivum datum legitimis Successoribus restitui debuerant, approbamus, & ut effectum sortiatur constituimus, sub pænâ in Retentores, violationis pactorum & damnorum refusionis, ratione cujus forum ex bonis in Magnô Duca.*

Ducatu Lithuaniae sitis in Comitibus assignamus.

Cum deinceps Anno 1660. Pax Olivensis inter Partes belligerantes constitueretur, tantum abest ut per eandem aliqua in re Pactis hisce Bydgosiensibus, & omnibus iis, quæ in iisdem continentur, derogatum sit, quin potius illa per Pacificationem Olivensem confirmata, & ea quæ ad traditionem Urbis Elbingensis spectant, illustrata ac novo robore firmata sint: Sic enim habet Artic. II^{us} §. 3.^{us}

Civitatibus Prusiae Regalis, quæ in possessione Sac.^a Reg.^a Maj.^{tas} Regniq; Sueciae hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia jura libertates & privilegia, quibus, sive in Ecclesiasticis, sive prophanis potitæ sunt ante hoc bellum, (salvò liberò, uti ante hoc bellum viguit, in prædictis civitatibus Catholica & Evangelicæ Religionis exercitiò) earumq; territoria, Magistratus, Communitates, Cives, incolæ & subditos Sac.^a Reg.^a Maj.^{tas} Poloniae eadem, quâ olim clementiâ & gratiâ Regiâ in posterum prosequetur, fovebit & tuebitur.

I

Qui

Qui cum generalis sit, & ad omnes Civitates Prussiae Regalis pertineat, nec de Elbingâ exceptionem contineat: placuit super hōc articulo singularem tabulis pacificationis adjicere articulum seu declarationem his verbis conceptam:

NOs infrà scripti S.^a Reg.^a Maj.^{is} Reipub.^a Polonae ad tractatus Polono-Sueticos Legati Plenipotentiarum, notum facimus, quorum interest, vel ulla ratione interesse poterit, universis & singulis: Quandoquidem instrumento Pacis principali hodiè subscripto articulus amnestiae, in quo tam communitatum quàm singulorum jura redintegrantur, forma generali conceptus est, & nulla specialis adquisitorum, tam in Prussia Ducali, quam extra eam Serenissimo Electori Brandenburgico per Pacta cum S. R. Maj.^{is} Reque-publica primum Velavia, demum Bydgostiae inita ac Constitutione Comitiali approbata, S.^a Seren.^{is} Elect.^{is} jurium, utpote independen-tiae Ducatus Prussiae, condescensionisque in feudum Bytoviensis & Leoburgensis,
Di-

*Districtuum in Palatinatu Pomeraniæ
existentium, tum & juris competentis in
Civitatem Elbingensem, nec non præfe-
cturam Drabeimensem in eodem facta est
mentio: Ne id in præjudicium memora-
torum S.^e Ser.^{is} El.^{is} jurium trahi possit,
plures modi ratione inclusionis prædicto-
rum in præfato articulo amnestiæ, propo-
siti fuere. Cum autem partibus nequa-
quam satisfacere potuissent, tandem pru-
denti Illustriss.^{mi} & Excellentiss.^{mi} Domi-
ni, Christianissimi Regis Legati media-
tione, ac indefesso studio maturandæ pa-
cis gratia convenit, ut peculiari articulo,
qui tamen pro inserto Pacis Instrumento
haberi, ejusdemque valoris esse debet, ea
ipsa jura Serenissimo Electori caverentur,
quod & à legatione per separatum articu-
lum factum est.*

Et constat fanè, declarationem hanc, à Polonis in
separato articulo exhibitam etiam à Svecis & Gallis fa-
ctam esse. Svecorum declaratio sequenti modo expres-
sa reperitur:

Le-

Legatio Suetica declarat Serenissimi Regis Regnique Sveciae nomine, ea quae in Instrumento Pacis articulo secundo de redintegratione iurium disponuntur, non debere concernere ditiones, status, civitates, terras & loca, quae a S.^a Seren.^{te} Elect.^{ti} possidentur, nec eò trabenda: neque obstare eundem articulum, quo minus Suae Serenitati Electorali Elbinga jure, quod Eidem S.^a Serenitati Electorali competere potest, tenenda tradatur, salvo de cetero ejusdem Civitatis privilegiis, & immunitatibus tam in Ecclesiasticis quam politicis, salvo itidem jure retractus conventionalis Serenissimo Regi ac Reipubl. Poloniae quoad Elbingam. Qui quidem articulus tanquam si in ipso Instrumento Pacis esset insertus, ibidemque cum aliis appositus, ejusdem cum eò valoris esse haberique debeat.

Gallici verò Ministri declaratio ita se habet:

S^a. *Christianissimae Reg.^a Maj.^{ties} Galliarum*

rum & Navarrae, Comes Consistorianus,
& ad Tractatus Pacis Polono-Sueticos
Legatus Plenipotentarius, Antonius de
Lumbres, notum facimus quorum inter-
est universis & singulis, praesentibus &
futuris. Quandoquidem Instrumento Pa-
cis principali hodie subscripto, articulus a-
mnestiae, in quo tam communitatum quam
singulorum jura redintegrantur formam ge-
nerali conceptus, & nulla specialis acqui-
sitorum, tam in Prussia Ducali quam ex-
tra eandem Seren.^{mo} El.^{ri} Brandenburgico
per pacta foederis perpetui, cum S.^a Reg.^a
Maj.^{te} Reque publicae Polonae inita & con-
clusa, ac postmodum lege comitiali ad pro-
bata, S.^a Seren.^{tis} El.^{lis} jurium in eadem
facta sit mentio, ne id in praesudicium
S.^a Ser.^{tis} El.^{lis} jurium trahi posset, conve-
nit, ut praeter separatas partium declara-
tiones, a Nobis quoque, uti Mediatore,
attestatio rei actae ederetur. Proinde vi-
gore praesentium omni meliori modo fide
K publi.

publicâ testamur, Legationem Sueticam
circa tractatus Pacis declarasse, nec Eo-
rum esse, neq; etiam ad se spectare, ut præ-
dicta Pacta vel approbent, vel visdem ullâ
in re quidquam derogare posse vel debere.
Polonica verò Legatio, tam ore tenus,
quam scripto publicâ fide manifestavit,
S.^{am} Reg.^{am} Maj.^{tem} Rempublicam Polo-
nam præmemoratis pactis non solum ni-
hil derogare hâc instrumento velle, posse
vel debere, sed eadem in omnibus articu-
lis, punctis & clausulis conservare & ma-
nutenere.

Notanda etiam ex articulô 26.^{to} Pactorum
Olivensium sequentia:

SErenissimus Elector Brandenburgicus
Loca omnia, quæ in Pomeraniâ hâc
bellô occupata præsidiis suis insidentur,
Sac.^e Reg.^e Maj.^{ti} & Regno Sveciæ; Ea
verò, quæ in Holsatiâ & Ducatu Slesvi-
censi, Celsissimo Principi & Duci Holsa-
tiæ Gottorpiensi &c. &c. restituet. Quæ
eva-

evacuatio fiet, locorum scil. Pomeraniæ
exceptis Wollinô, Dam & Greiffenhagen,
intra duas septimanas à die permutationis
ratihabitionum computandas, quò tempo-
re quoque Elbinga restitueretur; Wollin-
num verò Dam & Greiffenhagen, necnon
loca Holsatiæ & Ducatûs Slesvicensis, in-
tra alias demum duas sequentes hebdoma-
das à die supra memoratæ restitutionis eva-
cuabuntur; &c. &c.

Unde apparet Serenissimum Electorem intuitu et-
iam Elbingæ evacuationem locorum in Pomeraniâ oc-
cupatorum promississe, quinimò de tempore convenisse,
quo Elbinga evacuari debeat, nimirum eodem, quo loca
quæpiam Pomeraniæ restitui debebant.

Notandum etiam ex Actis Tractatum Olivien-
sium, quod cum Serenissimus Elector ægrè adduci pos-
set, ut consentiret, juri suo in Elbingam tantummodò
per Articulum separatam prospici, Polonicos Legatos,
qui Pacis conclusionem flagrantissimè desiderabant,
promississe: Si Elbinga à Svecis reddatur,
Polonicum præsidium haud impositum
iri; sed protinus Electoralem militem
immittendum, eamque in rem Regis cautionem
exhibuisse.

Ex

Ex omnibus hisce documentis, quæ fide publica,
jurato etiam datâ nituntur, luce meridiana dârius constat;
Serenissimum Poloniæ Regem & Incly-
tam Rempubl. per Pacta Bydgoſtensia
concesſiſſe Sereniſſimo Electori Bran-
denburgicô, Ejusque poſteris Civitatem
Elbingenſem cum totô ejus deſtrictu &
territoriô, plenô dominiî jure ſibi haben-
dam, poſſidendamque ac fruendam, unâ
cum redditibus, qui inde ad Reges Re-
gnumque Poloniæ olim deferebantur, eô-
dem modô, atque à Rege Regnoque
Poloniæ ad ultimum bellum Sveticum,
Anno 1655. tenebatur & poſſidebatur: E-
undemque Sereniſſimum Regem ac In-
clytam Rempubl. ulterius promiſiſſe:
quod quamprimùm ex poteſtate Sveco-
rum erepta fuerit Civitas Elbingenſis, ne-
mini quam Suæ Serenitati Electorali va-
cua illius poſſeſſio tradi debeat citra ullas
prætentiones vel dilationes præſidio Suæ
Serenitatis Electoralis munienda, ſine ul-
lo ſum-

lo sumptu Regis & Regni. Quæ quidem sunt
ipsissima verba Pactorum Bydgostiensium.

Et ne quis causetur alienationem hanc leviter &
absque gravibus ac iustis causis factam esse, expresum
est in iisdem pactis: Hoc propterea factum es-
se, quod DEO clementer annuente Sere-
nissimus Elector Brandenburgensis ad
sinceram Pacem & amicitiam cum Sere-
nissimo Rege ac Regno Poloniae & Ma-
gno Ducatu Lithuaniae, à quibus vio-
lento bellorum ingruentium ac neces-
situdinis inevitabilis impulsu, invitus avulsus
fuerat, feliciter redierit, ac perpetuò fœ-
dere ità se Serenissimo Regno Poloniae
& Magno Ducatui Lithuaniae conjunxe-
rit, ut mutuam utilitatem, commodum
ac securitatem sincerè procurare ac pro-
movere teneatur: quod porrò Serenis-
simus Rex ac Inclita Respub. probè per-
penderint tum pericula, quæ S.^a Seren.^{ti}
El.^{li} terrisque ipsius per ipsam separatio-
nem à partibus hostilibus imminebant,
tam quanti interfit Regis ac Reipubl. Vi-
L cinum

cinum Principem justis devincire modis,
tum inprimis, quanta quamque utilia Re-
gi Regnoque Poloniæ per effectivam &
actualem armorum cum illis conjunctio-
nem præstare S.^a Ser.^{tas} El.^{lis} deinceps pos-
sit officia tam belli quam pacis tem-
pore.

Quibus causis an justiores ac graviores excogitari
possint, omnibus etiam iniquis ac invidis æstimatoribus
judicandum relinquitur. Nec illæ frustraneæ aut illuso-
riæ fuere; nam effectus ille, quem sibi Rex ac Respub.
per pactionem hanc proposuerant, plenissimè insequu-
tus est; cum ex eò tempore Regnum, factâ cum Ele-
ctore armorum conjunctione, ab hostili vi ac bellorum
injuriis, quibus penitus oppressum antea erat, tutum
intactumque fuerit, arma è visceribus propriis in exte-
ras regiones transtulerit, pristinum vigorem receperit,
& tandem per Pacem Olivensem restitutionem omni-
um, quæ ante bellum possederat, acceperit. Hæc
tanta tamque ingentia bona quis putet unius Urbis ja-
cturâ nimium constitisse? Sed nec intra belli istius ter-
minos stetit utilitas, quam Serenissimus Rex & Inclita
Respubl. ex illâ pactione perceperunt; Nam & æter-
nò, ac ad finem mundi duraturò foedere illigaverunt
Principem Vicinum ac potentem: quo ipso securitati
suæ, depulso omni ex hæc viciniâ metu in æternum
prospexerunt; & præterea Eundem obstrictum tenent
ad certum militum numerum in singulis, quæ Reipub.
exoriuntur bellis Eidem submitendum. Hisce omni-
bus ritè rectèque expensis, non tantum non dubitarunt
Sere-

Serenissimus Rex & omnes q̄vi tunc Ipsi aderant Senatores, Pacta hæc Bydgostiensia, seu potius æternum fœdus, unde tanta in Rempubl. promanabat utilitas, jurejurandò confirmare; repetendò etiam ad majus robur ac firmitatem, quoties Novus Rex aut Elector regimen capessèrent: sed & omnes Ordines; adeòque tota Respub. in proximis Comitiiis Regni Generalibus Anno seqv. 1658. habitis solennissimè, nemine repugnante, protestante aut contradicente per Constitutionem seu legem publicam eadem approbavit ac confirmavit. Quinetiam in tractatu Pacis Olivenfis, Jus Electori in Elbingam per Pacta Bydgostiensia q̄æsitum factum tectum conservatum fuit, ut supra latius demonstravimus.

Sed anteqvam ulterius progrediamur, notare hîc liceat singularem prorsus, ac vix aliàs exemplum habentem moderationem, ac propensissimum in Inclytam Rempubl. affectum Serenissimi Electoris Friderici Wilhelmi p. m. Nam cum ex præscripto Pactorum Eidem ac Posteris, (adeoque in æternum) Civitas Elbingensis cum toto Ejus districtu ac territorio, pleno domini jure habenda possidenda ac fruenda cederetur : Ille animo reputans, fortè non sine dolore Regis ac Reipublicæ Cessionem hanc perpetuam, quamvis ob summam utilitatem & ad redintegrandum Corpus Reipub. antea scissum ac dissipatum facta esset, fieri potuisse, & cupidine flagrans, sincerum affectum suum Regi ac Reipub. singulari aliquo documento testandi ; spontè nec coactus plenum istud
domi-

dominii jus in Urbem Elbingensem, sibi ac posteris, adeoque in æternum cessum, mutavit in Jus pignoratitium seu hypothecarium, vi cujus Urbem sibi traditam, solutis à S.^a Reg.^a Maj.^{te} & Regno Poloniae, pro se tantum eam redimentibus, ex propria pecunia publica quadringentis millibus thalerorum Imperialium, retradi debere sese obstrinxit.

Tenor documenti ita habet:

F*Ridericus Wilhelmus, DEI gratiã &c. &c. notum testatumque facimus hisce Reversalibus nostris; quod quanquam S.^a Reg.^a Maj.^{tas} Poloniae & Sveciae in ratificatione & declaratione pactorum inter S.^{am} Reg.^{am} Maj.^{tem} & Rempub. Poloniae ac Nos, Velavia die XIX. Septembris anni præsentis initorum & postea Bydgostiae confirmatorum ac juratorum, in satisfactionem Nobis plenò jure domini Urbem Elbingensem concesserit:*

serit : Nos tamen intuitu & ratione facta Nobis remissionis quingentorum Equitum de subsidio duorum millium, vigore supradictorum pactorum fœderis perpetui Reipubl. Polonicae alias præstandorum ; tum respectu declarationis nomine S.^e Reg.^e Maj.^{ties} & Reipub. factæ, quod muri atq; fortificationes omnes dictæ Urbis Elbingensis ante retraditionem per nostros præsidarios destrui debeant, promississe, & Nos heredesque nostros obstringisse, quemadmodum hisce promittimus & obstringimus, quod dictam urbem cum territoriò, solutis Nobis à S.^e Reg.^e Maj.^{ties} & Regnò Poloniae ex propriâ pecuniâ publicâ quadringentis millibus thalerorum Imperialium à Suâ Maj.^{ties} oblatis, iterum S.^e Reg. Maj.^{ties} Ejusdemque successoribus & Regnò in proprium usum, pro se tantum eam redimentibus, cedere & retradere tenebimur, & posteri nostri tenebuntur. In cujus rei fidem hæc manu nostrâ subscri-

M scri-

scripsimus, & sigillo nostro Electorali firmari jussimus. Datæ Bydgostiae die 6. Novemb. Anno 1657.

Qvis crederet post tot insignia fidei ac amoris documenta, quibus Regem ac Rempubl. Elector sibi devinxerat, post solennissimas ac juramento firmatas obligationes, quibus Rex ac Rempubl. Electori tenebantur, vel minimam moram committi debuisse, quò minus Civitas Elbingensis, cum post Pacem Olivensem factam à Svecis evacuaretur, Electori pignoratitiò jure possidenda traderetur. Sed res præter omnem spem ac opinionem longè aliter cecidit. Nam cum conventum & à Serenissimo Rege cautum esset, ne redditæ à Svecis Elbingæ Polonicum præsidium imponeretur, sed ut protinus Electoralis miles immitteretur: nihilominus Legati Polonici ad tractatus Olivenenses missi in arric. 7.^{mò} ejusdem pacificationis admiserunt, ut Urbs illa, facta à Svecis evacuatione, in manus Serenissimi Poloniæ Regis ejusque Commisariorum traderetur; Leve hoc, & quod facile refarciri potuisset, si Regius miles acceptam Urbem statim Electori retradere jussus fuisset, id quod Elector ex ipsis pactorum verbis urgebat; Sed missus fuerat Elbingam Rejus Thesaurarius Aulæ, cum mandatis, ut super tradendâ Elbingâ cum Electoralibus Ministris tractaret, quod facere abnuebat Elector, claram Pactorum legem ac dispositionem allegans, quæ vult, ut Elbinga, quamprimum ex potestate Svecorum recuperata fuerit, Electori citra ulla prætensiones vel dilationes tradatur, præsidio Electorali munienda. Sed surdis narrabatur fabula & quicquid vel justitia ipsa, vel fides publica ac jurato data, vel jus fasque Gentium, vel foederum ac pactorum Religio ingerebant, id omne
frivolis

frivolis cavillationibus; quas allegare pudor prohibet, Rejus eludere nitebatur, & revera elusit, non attentò, quod ad omnia, quæ ab ipsò allatà erant, à Deputatis Electoralibus abundanter & rationibus sole meridiano clarioribus responsum fuisset, ac Ipse Elector declarasset, se in gratiam Regis ac Reipub. & quò facilior relutio esset, quinquaginta millia thalerorum à summâ promissâ remissurum, & omnia, quæ de privilegiis urbis, Religione ac commerciis in Pactis Bydgostiensibus statuta sunt, strictè observaturum. Sed destinatum erat Rejo, fortè ac jussum, Urbem Electori nequicquam tradere.

Optandum foret, ut aperta hæc fidei ac pactorum contraventio, Reji solius culpæ adscribi deberet; ast quæ postea in Comitibus Anno 1660. & 1661. habitis, inter Commissarios Regios ac Electorales acta sunt, satis liquidò demonstrant, cavillationes istas à Rejo adversus Pacta ac fidem publicam allatas, in animis plurimorum ex Ordinibus altiores egisse radices, quam ut justis evelli possent rationibus ac argumentis. Injunctum erat Legatis Electoralibus, ne istud negotium Elbingense ad dubios iterum tractatus deduci paterentur, tum quod dispositio pactorum clara, & extra omnem controversiæ aliam posita esset, nec ea, quæ in §. 18. Pactorum Velaviensium de controversiis circa observationem & executionem fœderis exortis, per Commissarios utrinque componendis statuuntur, ad Causam Elbingensem trahi ullò modò possint; cum contra expresse in iisdem *Pactis Bydgostiensibus cautum sit, ut statim atque Elbinga recuperata fuerit, vacua ejus Possessio NB. citra ulla præ-*
ten-

tenfiones vel dilationes *Electori tradi de-*
beat ; tum quod difficile futurum eſſet tot capita,
ex quibus Ordines conſtant, in unam pertrahere ſen-
tentiam, cum unus ſaltem diſſentiens ſeu proteſtans ex
Nunciis terreſtribus, totam rem irritam reddere poſſet;
tum etiam, quod Ordines Poloniae hōc modō ſibi de-
ciſionem ejus cauſae arrogaturi eſſent, in qua **Partis**
Paciſcentis vicem ſuſtinebant: Nihilominus ad o-
mnia ea, quae à Commiſſariis Regiis in medium profe-
rebantur, tantā juris juſtitiaeque conſtantiā ab Electora-
libus reſponſum fuit, ut illi, quod regerent, non ha-
berent, ſed ſubinde ſtudiō ac pertinaciter prætexerent,
Elbingam, ubi ſemel ab Electore inſeſſa fuerit, nun-
quam deinceps reſtitutum iri, quamvis Elector adver-
ſus hunc ſcrupulum omnem offerret cautionem, quam
ipſi deſiderari poſſent. Ultimum tandem fuit Regio-
rum receptaculum; quod ſatis cautum eſſet Electori in
poſſeſſione Braunsbergae ac Frauenburgi, quae loca tum
temporis ab Eōdem tenebantur, eōſque poſſidenda,
donec Eidem ratione Elbingae ſatiſfactum foret. Et
Electoꝝ quidem nimis facilem ſe præbere, ac ſubinde
declarare, ſe non mordicitus inhæꝛere velle poſſeſſioni
Elbingae, modō aliud ſibi æquivalens tradatur, quem in
finem Braunsbergam aut Mariæburgum, aut etiam cer-
tum tractum in ripa Viſtulæ ſitum proponere; Tan-
dem etiam ſub finem Comitiorum Anni 1661., ut toti
terrarum Orbi iterum ſuum erga Rempub. affectum
teſtaretur, ſcriptō declarare: Se ſpontē & præter de-
bitum, teſtandæ ſuæ erga S.^{am} Reg.^{am} Maj.^{tem} & Rempub.
promittudini, juri ſuo per Pacta Bydgostienſia ſuper
Civitatem territoriumque Elbingenſe quaſito, eā ex-
preſſā conditione, ſi alia æquivalens ſibi tradita fuerit
hypo-

hypothecā renunciare, dequē summā quadringentorum millium Imperialium in contractu conventionali expressorum, centum millia thalerorum remittere, reservandō tamen sibi Jus potestatemque retinendi Civitates Braunsbergæ ac Frauenburgi in Episcopatu Varmienfi, usque dum vel Elbinga realiter tradita, vel aliā ratione Ser.ⁿⁱ S.^a El.^{li} plenē satisfactum fuerit.

Declaratio hæc Legatorum Brandenburgensium verbotenus ita se habet:

*Serenissimi Electoris Brandenburgici, &c. &c. Consilarii Status Intimi, & Legati Plenipotentiarii, noium testatumq; reddimus, quorum interest vel ullā ratione interesse poterit, universis & singulis: quod S.^a Seren.^{tas} El.^{lis} juri, Sibi per Pacta perpetui, primum *Velavia* die 19. Sept. annō 1657. conclusi, 6.^{ta} verō *Novembr.* ejusdem anni *Bydgostia* ratificati, & in Comitibus anni 1658. unanimi omnium Ordinum consensu approbati fæderis, super Civitatem territoriumque *Elbingense* quæsito, (nihil tamen quoad reliqua derogandō iisdem Pactis) sponte & præter debitum, testandæ suæ ergà Sac.^{am} Reg.^{am} *N Maj.**

Maj.^{tem} & Rempublicam promptitudini,
eâ conditione, si alia æquivalens Lege
publica sibi tradita fuerit Hypotheca, re-
nunciaverit; deque summâ in Retractu
Conventionali expressâ, sopiendis qua-
cunq; motæ fuerant prætensionibus, Cen-
tum millia Thalerorum Imperialium re-
miserit; prout nomine Ejusdem vigore
præsentium, Mandatô procuratoriô inni-
xi, præmissa conditione renunciamus &
remittimus, (salvis tamen in omnibus ac
illæsis & illibatis prædicti fæderis perpe-
tui Pactis, eorundemque articulis con-
ditionibus punctis ac clausulis singulis &
universis, tam quoad jura independentiæ
Supremiq; ac Directi in Ducatum Prus-
siæ Dominii: quam & Condescensionis in
feudum Bytoviensis & Lauenburgensis
Districtuum in Palatinatu Pomeraniæ
existentium, tum & Hypothecæ Præfe-
cturæ Draheimensis:) Quò verò S.
Seren.^{tas} Elect.^{lis} exsolutionis residui præ-
dictæ

dictæ summæ Elbingensis, nempe trecentorum millium Thalerorum Imperialium certa securaque esse possit, reservatum, Eidemque hisce reservatur Jus potestasque retinendi Civitates Braunsbergæ ac Frauenburgi in Episcopatu Varmiensi usque dum vel Elbinga realiter tradita, vel aliâ ratione S.^æ Seren.^{ti} Elect.^{li} plenè satisfactum fuerit. Ità tamen ne intereâ publicum in Ecclesiâ Cathedrali Frauenburgensi juxta ritum Catholico-Romanum præpediatur exercitium. Quantum verò attinet jus demoliendi munimenta mœniaque Elbingensium, siquidem id potius Civitatem ipsam concernit, quam Rempub. Eadem S.^a Ser.^{tas} El.^{lis} justis æquisque amicabilibus modis mediisque de eò cum prædictâ Civitate se composituram esse promittit; Exindeque omnes ultrò citròque motæ & in medium allatæ prætensiones ratione quarumvis contraventionum ablationumque penitè tollun-

*luntur & in perpetuum abolentur. Ità
ut deinceps Partes firmam certamque &
nullatenus interruptam colant amicitiam
& vicinitatem. Actum Varsaviæ, die
VIII. mensis Augusti, Annò Domini
M DC LX.*

Supra nominati Electorales Legati:
JOAN. ab HOVERBECK. I. V. DOBRECENSKY.

Sed nec alia æquivalens unquam tradita fuit hypo-
theca, quamvis hæc de re sæpius actum, irritò tamen sem-
per successu: nec Braunsberga & Frauenburgum re-
tineri potuere, ut statim dicitur; *adeò ut cum con-
ditiones, quas stipulatus expressè fuerat E-
lector, à parte Regis & Reipub. non fue-
rint adimpletæ, Elector etiam promissis,
quæ sub conditionibus istis expressis fe-
cit, nullo jure teneatur stare.* Et Brauns-
bergæ quidem ac Frauenburgi possessione decedere
coactus fuit Elector modò prorsus acerbò & minimè
conveniente; nam cum loca ista ad Episcopatum Var-
miensem spectarent, Episcopus verò Varmiensis, qui
tunc temporis erat Joannes Stephanus Widzga, à Rege
& Reipub. ad tradendum supremum in Ducatum Bo-
russix Dominium Electori Pactis Velaviensibus quæ-
situm, & præstandum abincolis Prussix Ducalis homa-
gium

gium Annò 1663 unà cum Joanne Lescziniò Pro-Cancel-
lariò Regni nominatus fuisset, præfatus Episcopus, occa-
sione hæc usus, nunquam officio sibi apud actum istum
homagiale m imposito fungi voluit, nisi prius Elector
præsidium suum è Braunsbergâ ac Frauenburgò educe-
ret; quod & Elector, invitus prorsus, & necessitate addu-
ctus, ne homagialis actus, qui instabat, iterum sisteretur &
novæ inde exorirentur turbæ, facere coactus fuit, cujus rei
Acta publica fidem faciunt.

Et sanè mirari licet, quomodo Nobilissima Gens,
fidei alias ac decoris amantissima, eò se adduci passa fu-
erit, ut fidem juratò datam & in publicis Comitiiis a-
gnitam ac confirmatam, circa traditionem Elbingæ post
Pacem Olivensem ad hoc usque tempus exsolvere
nunquam voluerit; quamvis non sit difficile aut ob-
scurum causas indagare, quæ ut titulò utilitatis fortè se-
se commendant, ne scilicet Respub. tantam pecuniæ ex-
solvere teneatur summam, ita ab eò quod justum & de-
bitum, quàm maximè remotæ sunt. Quis enim dubi-
tet, pacta conventa servanda, & promissa exsolvenda
esse, inprimis si jurisjurandi religio accesserit, quâ nihil
sanctius nihil divino ac humano juri convenientius ex-
cogitari potest, cum fides sit fundamentum justitiæ &
vinculum, quò societas humana & commerciorum in-
ter Gentes usus continetur. Nec & in Inclyta Respub.
summi defuerunt Viri, qui dedecus hoc semper & cre-
berrimis questibus detestati sunt & ab eò abhorruerunt,
testantibus id Actis publicis: *Ipse Rex, Joannes Casimirus Hoverbeckio Legato Electo-
rali, cum in Comitiiis Annò 1660. ad audien-
tiam, ut vocant, admitteretur, benevolen-*

O

tiam

tiam & gratum animum in Electoris me-
rita multis & amplissimis verbis testatus
est, lachrymis etiam in oculos erumpenti-
bus ob nondum præstita promissa.

Cancellarius verò Regni Comes Leszci-
cinius, sæpius etiam scriptis declaravit, Pa-
cta fidei publicæ, & religionem jurisjurandi
haut permittere, ut Electori Elbinga sub-
trahatur.

Extant etiam in Actis Comitiorum Annò 1661.
habitorum Vota plurimorum Senatorum, Archiepilco-
pi Gnesnensis, Episcoporum, Cujaviensis, Cracovien-
sis, & Varmiensis, quibus luculenter asseritur: non pos-
se Electori traditionem Elbingæ denegari, absque fidei
publicæ violatione. Inprimis verò notari merentur di-
cta ab Episcopis Cracoviensi ac Varmiensi, quorum ille:
*vindictam DEI Reipub. minatus est, si
perjura erga Electorem existeret, nec con-
venta præstaret, allegandò exemplum Ula-
dislai IV. Ungariæ & Poloniæ Regis, cæsi
ob perjurium, & addendò: malle se potius
mori quam aspiceret, ut Respub. eousq; & hòc
excepto exemplo semper fidei observantis-
sima, turpem hanc contraheret maculam:*
Hic verò, Varmiensis scilicet Episcopus testabatur:
quam

quamvis Elector sibi nec beneficium nec injuriâ cognitus esset, fateri tamen se coactum, non posse Rempub. absque conscientiae læsione, fideique publicæ violatione, tum & ignominia notâ apud totum terrarum Orbem, Electori denegare, id, de quo tam sanctè, interpositâ etiam jurisjurandi religione conventum fuerit.

Quæ quidem non sine æternò tantorum Virorum honore memorari possunt, tantum tamen abest, ut in dictis Comitibus justissimo Electori desiderio satisfactum; quin potius illud per protestationem nonnullorum ex Ordine Equestri irritum fuerit redditum. Ex eò tempore statutum Electori, de traditione Elbingæ nunquam deinceps in Comitibus agere, idque ex prægnantissimis jam supra allegatis causis: Ne nimirum Respub. decisionem sibi arrogaret in causâ, in quâ Pars Paciscens esset; tum & quod facile prospici posset, sibi hæc ratione nunquam satisfactum iri, cum vel unius Nuncii protestatione, quæ facile parari potest, totum negotium sisti & irritum reddi posset. Cui proposito cum defunctus Elector, tum modernus firmiter inhæserunt; & quamvis in Comitibus Annò 1671. & 1672. habitis, à plurimis tum Senatoribus, tum & ex Equestri ordine acriter instaretur, ut ante confirmationem Pactorum, quæ tum temporis repetenda erat, negotium Elbingense, & si quæ erant prætensiones Reipub. discuterentur; masculè tamen id negarunt Legati Electorales & pervicerunt, ut sepositis istis prætensionibus Confirmatio fieret. Animadversum etenim Polonos, quoties singulare aliquod negotium, Serenissimum

simum Regem, Inclytam Rempub. & Electorem inter,
peragendum fuit, toties quæstionem de prætensionibus
suis longè petitis in medium protulisse, credentes, hæc
ratione se desiderium Electoris de tradendâ Elbingâ elu-
dere posse; Sic & ante octo annos cum homagium Se-
renissimo Electori Moderno Regiomonti præstari de-
beret, à Commissariis Regiis quæstio hæc iterum mota, &
certò scriptò, ad modum prothocolli conceptò & utrin-
que probatò, in aliud tempus rejecta fuit. Cujus scripti
tenor est:

Cum Reg.^a S.^a Maj.^{tis} & Inclytæ Rei-
pub. Poloniæ Commissarii Deputati.
Illustriss.^{mi} & Excell.^{mi}, Dominus Hiero-
nymus Augustinus, Comes & Princeps de
Lubomirsky, Sac.ⁱ Rom.ⁿⁱ Imp.^{rii} Prin-
ceps, & Dnus. Stanislaus Sczucka,
post peracta homagii solennia, habitâ cum
Illustr. & Magnif.^{cis} Seren.^{tis} S.^a Elect.^{lis}
Consiliariis Statûs Intimis, Dno. Paulò
à Fuchs, & Dn. Eberhardò à Dan-
ckelman colloctione exposuerint, desi-
derare S.^{am} Reg.^{am} Maj.^{tem} Remq; Publicam
Poloniæ, ut de componendis certis quibus-
dam Reipub. prætensionibus ac negotiis,
occasione Pactorum Velaviensium resul-
tanti-

tantibus, per Commissarios utrinque nominandos, ex præscripto Pactorum quamprimum agatur, Seren.^{tas} S.^a Elect.^{lis} suam etiam in hanc compositionem pronam propensamque voluntatem vicissim testari, & prædictis Dominis Legatis indicari iussit, nihil se quoque magis exoptare, quam ut omnia discordiarum semina, Sacro inter Poloniam, Domumque Electoralem fœderis, amicitiae & vicinitatis vinculo contraria, si quæ fortè sint, quamprimum radicibus evellantur; nam & S.^{am} Ser.^{tem} El.^{lem} habere etiam prætensiones & negotia, ex ipsis dictis pactis aut resultantia aut in iis fundata, quorum tamen hæcenus noluerit mentionem facere, cum crediderit, per atrociam illa bella, quibus & inclyta Polonia, & S.^a Ser.^{tas} El.^{lis} in præsentiarum impliciti sunt, grave hoc aliquatenus fore & incommodum. Velle tamen S.^{am} Ser.^{tem} Elect.^{lem}, si Reg.^e S.^a Maj.^{ti} ita videatur, hæc in parte officio suo non deesse & expectare, quodnam tempus,
P quem.

quemve locum Reg.^a S.^a Maj.^{tas} & Respub.
commissioni huic peragenda præfigere ve-
lint, aut si Reg.^a S.^a Maj.^{tas} (uti iteratò
declararunt Dni. Legati) hâc de re sen-
tentiam S.^a Ser.^{tis} El.^{lis} nosse desideret, pe-
tere Eam R.^{am} S.^{am} Maj.^{tem}, ut bimestre illud
spatium, quod commissionibus ejusmodi ce-
lebrandis in Pactis dictum est, usque ad
finem illius, quæ instat, expeditionis belli-
cæ, in mensem usque Novembrem præsen-
tis anni prorogare velit; Cum S.^a Ser.^{tas}
El.^{lis} in hâcce Commissione operâ cujus-
dam ex ordine Ministrorum suorum uti
decreverit, quem prædictæ expeditioni in-
colendâ inter Poloniam & S.^{am} Ser.^{tem} El.^{lem}
amicitiâ studio, non sine insigni utriusque
Partis utilitate tam gravi negotio adhi-
bebitur; Pro loco autem tractatus vide-
ri S.^a Ser.^{ti} El.^{li} Urbem Gedanensem maxi-
mè commodam. Ad quæ cum prædicti
Dni. Commissarii reposuerint, confidere
illos, Reg.^{am} S.^{am} Maj.^{tem} in prorogationem
istam, propter causas tam æquas tamque
fonti-

fonticas expetitam, haud gravatè consen-
suram, placuit invicem, ut prædicti utri-
usque Partis Commissariis componendis
hisce ex dictamine Pactorum controver-
siis, die $\frac{20}{30}$ Novembr. anni præsentis con-
veniant, ità tamen, ut si fortè propter im-
pedimenta aliqua prægnantia Reg.^a S.^a
Maj.^{tas} & Respub. suos Commissarios pro
conventò terminò expedire nequeat, bime-
stre tempus in pactis expressum, denuò
observetur, conventus quoque iste hic Re-
giomonti celebretur; quippe quem locum
Reg.^a S.^a Maj.^{tas} & Reipub. Legati propter
respectum vicinitatis ergà Lithuaniam ac
alios collimitaneos, atq; complures cæteras
rationes commodiorem Gedanensi Urbe
judicaverunt. Quæ omnia utrinq; ritè acta
& transacta esse, præsens documentum lo-
cò Protocollì confectum. Regiomonti $\frac{16}{26}$
Maji 1690.

Sed cum spatium istud sex mensium, quò res dilata,
nunc ultra octo annos exactum sit, nunquam tamen
mentio commissionis instituendæ vel minima facta fuit;
ex quò liquidò apparet, eum tantum in finem de Com-
missi-

missione & prætensionibus crepari, ut Elector prohiberetur de traditione Elbingæ expostulare. Equidem nunquam defugiet Elector Commissorialem disquisitionem per Deputatos utrinque constitutos habendam, coram quâ, prætensiones, quæ hinc inde adferuntur, discutiantur; cum & longè plures & graviores habeat prætensiones, quàm quæ à Parte Reipub. adferuntur; Sed ut negotium Elbingense inter prætensiones referatur, & de eò coram Commissione agatur, id nunquam permittet Elector, cum id contra expressam Pactorum Bydgoستيensium sit dispositionem, quæ vult: *ut vacua Elbingæ possessio tradi debeat, NB. citra ullas prætensiones vel dilationes, præsidio S.^a Ser.^{is} El.^{is} munienda: &c.*

Cæterum uti nulla spes supererat Electori, Jus suum per traditionem Elbingæ consequendi in Comitibus, ita & extra Comitibus adhuc minor affulgebat spes. Tentatum id quidem sæpius, tum apud Serenissimos Reges tum apud præcipuos Senatores, sed ab omnibus responsum: rem istam à se non pendere, sed ad univeros spectare Ordines, adeoque in Comitibus tractandam esse.

Sensit Serenissimus Elector hanc ratione sibi illudi, cum quasi in gyrum circumageretur, & à Regibus ad Senatores & Ordines, ab his ad Reges remitteretur; adeoque id sibi unum esse reliquum & faciendum putavit, quod jura divina ac Gentium ipsi permitterent, nimirum, *ut Ipse possessionem Urbis Elbingensis ex tot Pactis conventis ac juratis, & propter justissimas pariter ac gravissimas causas sibi competentem, hætenus verò contra fidem juratò datam injustè negatam, arriperet.*

Nec

Nec enim quis adeò hospes esse potest in jure divinò ac Gentium, ut ignoret vel dubitet, Pacta conventa servanda esse, fidem juratò datam non fallendam; secus si fiat, jus læso esse, id, quod sibi debetur, etiam armis prosequi. Quod si privato cuius pignus seu hypothecam in re aliquà ipsi constitutam ubivis vindicare liceat, quantò magis id summas inter potestates locum habere debet, inter quas judicia cessant. Nec enim in alienatione naturaliter requiritur traditio, sed Pactum dat simul jus in re & facultatem rem occupandi, ubicunque reperitur. Sic cum pacta jurata concederent Electori, primo plenum Urbis Elbingensis dominium, deinceps possessionem vacuum ejusdem Urbis donec summa conventa persolveretur; & verò nullis rationibus, aut modis eò res deduci potuerit, ut possessio spontè traderetur; quid juri naturali, divino ac Gentium magis conveniens esse potest, quam arripere possessionem, quò meliore modò fieri possit, quæ omni jure divinò ac humanò debetur? Nemini enim injuriam facit, qui suò jure utitur; in primis cum nullum in Orbe judicium sit constitutum, ad quod pertrahere Regem ac Rempubl. Elector posset: coram Commissariis verò jus suum circa Elbingam prosequi nullatenus ex pactis teneretur; uti supra latius demonstratum. Verùm ab armis & violentà occupatione Urbis tum piè defunctus Elector, tum modernus semper abhorruerunt, ob affectum in primis ergà Rempubl. ingeneratum, & ne vel minimà in re tranquillitas publica læderetur; quin potiùs tantò temporis tractu spontè omnia præstiterunt, ad quæ ex pactis obstricti erant: renovationem scil. seu Confirmationem Pactorum quoties casus existeret, & auxilii ex Pactis debiti præstationem, imò & ultra debitum, quod quidem toti Reipubl. notum est. Cum igitur Vis, quamvis jure licita non placeret; placuit initiò occupationem pignoris civili modò, absque ulla vi hostili & obsidione tentare; Quod cum non succederet,

fas

fas sibi esse putavit Serenissimus Elector possessionem pignoris, Eidem per æternum foedus & fidem juratam constituti, sed quæ hæcenus contra Pacta negata fuerat, quò tandem expediet modò apprehendere.

Heic objicere quis posset, cum non ità pridem Johannisburgi conventum esset, & Serenissimi, Rex atque Elector, unà cum præcipuis aliquot Regni Senatoribus amicas dextras junxissent & æternam ac inviolabilem amicitiam invicem promisissent, cur non de traditione Elbingæ mentio facta? cur non eadem postulata? cur non declaratum antè fuisset, Electorem jure suo usurum, & si non traderetur Urbs, ejus possessionem occupaturum? Respondetur, hoc non nisi gravissimâ & justissimâ ex causâ fuisse omisum. Præsciebat enim Elector, quodnam à Serenissimo Rege ac optimis Senatoribus responsum laturus esset; nimirum, traditionem Elbingæ non esse in suâ potestate, sed ad universos Regni Ordines spectare, absque quorum præscitu atque approbatione illa fieri non posset; adeoque eâ de re proximis in Comitibus agendum esse. Aliud responsum nec exigi nec dari potuisse, cui libet, cui Status Regni Polonici cognitus est, tam est notum, quàm nihil supra. Cum igitur tali acceptò responsò nihil effectum & tamen ex eo illud incommodi acceptum fuisset, ut cum pateret destinatum Electoris, quamvis justissimum, ad effectum tamen ejus impediendū Urbs novò præsidio ac milite firmata fuisset, adeò ut deinceps non nisi justâ obsidione & hostili vi occupari potuisset: prudentissimè judicavit Elector id nec Reipubl. nec sibi expedire. Addi potest, cum omnia in Conventu isto Johannisburgensi ad mutuam benevolentiam & simplicem hilaritatem excitandam composita ac parata essent, noluisse Electorem injicere mentionem rei, quam sciebat ingratham futuram, irritò in primis successu. Verum ut mens Serenissimi Electoris prorlus denudetur, & de

& de intentione Ejusdem circa occupationem Elbingæ Serenissimo Regi, Inclytæ Reipub. & universis ac singulis, quorum cunque interest, aut interesse potest, liquidius constet:
Declarat hisce Serenissimus Elector coram totò terrarum Orbe, se fædus istud æternum nuper renovatum, quod cum Serenissimo Rege ac Inclytâ Reipub. Eidem est, & cujus vigore Elbingæ possessio Electori debetur, sanctè atque inviolabiliter servaturum, & omnia, ad quæ ex eodem obstringitur, optima fide præstiturum; privilegia Urbis Elbingensis, commercia, statum Religionis, & quicquid ea de re in pactis habetur, religiose conservaturum; ne ex ea Urbe, quamdiu in sua potestate erit, vel minimum damni Reipublicæ & in primis Vicino Episcopatu Varmiensi, Civitati Gedanensi & circumjacentibus terris inferatur, omnibus impediturum viribus; quin potius operam daturum, ut ex eâ parte, securitas Reipublicæ plena adversus omnem vim externam ingruentem constet, non secus ac si Reipubl. præsiديو Urbs insessa foret;

ret; Jura actiones, & quicquid præten-
sionum alii in Urbem & Cives, aut Urbs
& Cives in alios habent, sarta tecta conser-
vaturum, curaturumque ut secundum leges
ac consuetudines in Urbe receptas æquabi-
lis administretur justitia; denique aliò ti-
tulò se urbem non possessurum, nisi pigne-
ratitiò aut hypothecario, adeoque, cum Ei-
dem de summâ conventâ, & eo quod justè
peti potest, satisfactum fuerit, statim & abs-
que morâ se Urbem cum territorio & pro-
ventibus futuris Serenissimo Regi atque
Inclytæ Reipubl. eo in statu, qui requiritur
in Cautione seu Declaratione istâ, quam
piè defunctus Parens Bydgostia die 6. No-
vembris 1657. dedit, restitutum, nisi aliter
convenerit.

Sil. lib. II.^{dò}

-- -- Neu rumpite foedera Pacis,
Nec Regnis postferte fidem. -- --



EXEMPLUM LITERARUM

Ad

Serenissimum ac Potentissimum Poloniae
Regem ac Magnum Ducem
Lithuaniae

à

Serenissimo Electore Brandenburgico
datarum.

Serenissime & Potentissime Rex

Domine Cognate & Frater

colendisime.



*Non potest latere Reg.^{am} Maj.^{tem} V.^{am}
quibus olim conditionibus coalu-
erint sacri & aeterni fœderis Pa-
cta, Velavia atque Bydgostia,
Serenissimum Poloniae Regnum inter &
Nos confecta, nec ita pridem à Reg.^a Maj.^{te}
V.^a more solito renovata ac confirmata, quas
inter præcipua est, ut pro præstitâ fideli ope-
râ*

râ & Sociatis armis, quibus Inclÿta Respub.
ab interitu vindicata, ac in pristinum sta-
tum & libertatem restituta, Urbs Elbinga
Nobis traderetur. Quadraginta, & quod
excurrit, annis, longum patientiæ documen-
tum dedimus, expectantes, ut justissima ista
adimpleretur conditio. Sed cum post tot
inanes preces ac sollicitationes, ne spes qui-
dem Nobis reliqua esset, traditionem istam
spontè & ex præscripto Pactorum subsequen-
turam, facimus tandem, quod optimò Nobis
dudum licuit jure; & quæ Nobis hætenus
indebitè negata fuit possessio istius Urbis,
quamvis justissimè & ex fide juratâ debita,
eam ipsi, citra animum hostilem, imò etiam
citra vim, si fieri potest, apprehendere cona-
bimur. Sed ne Reg.^{am} Maj.^{tem} V.^{am} tot actan-
tis gravioribus intentam rebus, longa juris
ac facti enarratione distineamus, rogatam
Eandem volumus, ut quo jure, quave justitia
Urbis dictæ possessionem, arripere statueri-
mus, & quæ sit mens atq; intentio nostra, ex
scri-

scripto, literis hisce adjecto, perspicere sustineat; De cuius veritate ut liquidius constet, non veremur paucis heic repetere, quæ de mente ac destinatione nostrâ ibi habentur, & coram Reg.^a Maj.^{te} V.^a sanctè testari, Nos fœdus istud æternum, nuper renovatum, quod cum Reg.^a Maj.^{te} V.^a & Inclytâ Republ. Nobis intercedit, inviolabiliter servaturos, & ex eodem præstanda præstituros; Privilegia & jura Urbis Elbingensis ex præscripto Pactorum religiosè conservaturos; ne ex eadem Urbe, quamdiu præsidio nostro insidebitur, quies ac securitas Reipubl., in primis Vicinorum, turbetur, aut vel minimû iisdem periculum, etiam ab hoste externo inde creetur, summâ ope curaturos; nec alio denique titulo Urbem nos possessuros, nisi pignoratitio aut hypothecario, & cum Nobis de eo, quod justè debetur, satisfactum fuerit, statim & absque ullâ morâ urbem Reg.^a Maj.^{te} V.^a atque Inclytæ Reipub. juxta Pactum conventum

ventum Nos restituros. De cæterò
veneramur DEUM, ut Reg.^{am} Maj.^{tem}
V.^{am} omni felicitatis incremento quam diu-
tissimè seruet incolumem ac florentem.
Dabantur ex Arce nostra, Coloniae ad
Spream, die $\frac{7}{17}$ Octobr. 1698.

Præm. Præm.

FRIDERICUS ELECTOR.



EXEMPLUM LITERARUM
Serenissimi ac Potentissimi Electoris
Brandenburgici,

ad

Eminentissimum &c. &c. Cardinalem Pri-
matem, ut & singulos Reverendissimos
& Illustrissimos Senatores Regni
Poloniæ & Magni Ducatus
Lithuanicæ.

Præm. Tit.



*E*odem anno, quo in lucem editi
sumus, æternum etiam Fœdus
istud, quod cum Serenissimâ
Republica indissolubili Nos
conjungit vinculo, *Velavia* ac *Bydgostia*
confectum est; ita dispensante rem tanti
momenti divinâ providentiâ, ut non prius
diei, quo vitæ usuram accepimus, quam
Fœderis istius & eorum quæ ex eo utring,
debetur, memoriâ deponere queamus. Et
quidem, quantâ curâ ac sollicitudine tum
Divus Parens noster, tum Nosmet Ipsifœ-
deris

deris istius leges, quæ quidem ad Nos spectant, expleverimus; quodnam juvande Reipublicæ fuerit studium; quæ pro salute ac conservatione Ejusdem opera ac fides intemerata, nemo rerum gnarus gestarum ignorare potest. Nec & inclyta Respublica aliud à se desiderari passa est, nisi quod præcipuam Fœderis conditionem, quâ Urbs Elbinga Nobis debetur, ac tradi debebat, hætenus, quò malignò nescimus fatò, in expletam reliquerit. Non potest latere Dil.^{em} V.^{am} (Illustr.^{mam} & Rev.^{mam} Dn.^{em} V.^{am}, vel Ill.^{mam} Dn.^{em} V.^{am}) tum clarissima circa eandem Urbem pactorum dispositio, tum frustrata per quadraginta, & quod excurrit, annos, divi Parentis ac nostra expectatio & patientia; aut si fortè, quid eâ de re gestum sit, memoriâ exciderit, subjectum literis hisce scriptum, quod fide actorum publicâ nititur, Eandem id lucem meridiana clarius docebit. Sed cum ne quidem spes Nobis relicta esset, Urbem spontè
& ex

Et ex præscripto Pactorum traditum iri, facimus tandem, quamvis invitati ac reluctantes, quod jura divina ac humana non tantum permittunt, sed Et jubent: Ut nimirum possessionem Urbis ex æterno ac jurato Fœdere Nobis debitam, sed tanto temporis spatio negatam ac frustra petitam, Ipsimet, utendo jure nostro, apprehendamus. Quid superest quam ut pietatem, fidem, ac æquitatem Dil.^{nis} V.^e (Ill.^e ac Rev.^e Dn.^{nis} V.^e, vel Ill.^e Dn.^{nis} V.^e) appellemus, quibus freti, non dubitamus, quin ipsamet factum sit approbatura, quô Serenissimus Rex ac inclyta Respublica à dedecore fidei non præstitæ ac æterni Et jurati fœderis violati, liberantur. Quod quidem eò libentius Dil.^{cm} V.^{am} (Et c. Et c.) facturam speramus, quô certius de mente ac intentione Nostra edocta fuerit, quæ nimirum hæc est; Quod æternum istud cum Inclytâ Republicâ pactum Fœdus, sanctè ac inviolabiliter servare

vare, quæ Nobis ex eodem præstanda incumbunt, religiosè præstare, Privilegia ac jura Urbis Elbingensis integra conservare, securitati Optimæ Reipublicæ, quamdiu Urbs in Nostra potestate erit, ex eadem prospicere, nec alio Eandem possidere titulo aut jure velimus, quam hypothecario aut pignoratitio; ex quo consequitur, ut si de eo, quod justè nobis debetur, satisfactum Nobis fuerit, Urbs illa statim & sinè morâ ex lege conventa restitui debeat, quod & sanctè spondemus; Qui de cætero Dil: V.º (& c. & c.) prosperrima quævis ex animo apprecamur. Dabantur ex Arce nostra Colonia ad Sævum, die $\frac{7}{17}$ Octobris 1698.

Præm. Præm.
FRIDERICUS ELECTOR.



29.11.2000

PK T n 3435

ULB Halle 3
004 144 368


1077

29.11.2000 Pd.





IN NOMINE PATRIS,
FILII ET SPIRITUS SAN-
CTI, DEI,



*minus, De
Rex Polonia
&c. &c. In
& Magnus
scoviticò bel
tur turbis,
eandem pete
in Prussiam
perent, ita u
ac Dominus
helmus, Ma
cri Romani
Princeps E*



*quod cum
eòque ipsò
isimus ac
eps ac Do-
Casimirus,
Lithuania,
Regnum,
ie, Mu-
mplicaren-
iter armis
andemque
em irrum-
s Princeps
ricus Wil-
gensis, Sa-
erarius &
jusque di-
tiones*